



Fondazione Memofonte onlus
Studio per l'elaborazione informatica delle fonti storico-artistiche

Con gradevole vivacità narrativa, Claude Du Molinet (1620-1687), curatore della biblioteca e delle collezioni dell'abbazia di Sainte-Geneviève a Parigi, illustra nel 1679 ai suoi lettori in questa *Praefatio* le motivazioni che lo spinsero a scrivere l'*Historia summorum Pontificum a Martino V ad Innocentium XI per eorum numismata*, fortunato capostipite di una florida letteratura dedicata alle medaglie papali, edita tra la fine del Seicento (Filippo Buonanni) e il Settecento. L'assunzione delle medaglie moderne nella seconda metà del diciassettesimo secolo quali strumenti di indagine storica di pari dignità rispetto alle antiche, la conseguente necessità di una loro integrazione all'interno delle biblioteche, il fiorente collezionismo tanto in Italia quanto in Francia della serie metallica pontificia e la mancanza di una bibliografia specifica dedicata al tema (a fronte di un proliferare di scritti antiquari sulla storia dei Cesari basati sulle monete antiche) sono i presupposti dai quali prende le mosse Du Molinet, che non evita di soffermarsi nel seguente testo anche su alcuni temi destinati a restare centrali nei decenni successivi: dal problema delle riconiazioni arbitrarie a quello dell'iterazione nei rovesci di 'tipi' ricorrenti da un pontificato all'altro, dall'utilità di includere nel catalogo le medaglie di 'restituzione' alle avvertenze per individuare i falsi, dalla decisione di concentrarsi sulle sole medaglie (escludendo le monete) alla definizione cronologica dell'ambito di indagine, fissata a partire dal pontificato di Martino V. Pur ricordando l'ausilio fornitogli dalla consultazione della riedizione delle *Vita et res gesta Pontificum Romanorum* di Alfonso Chacon, pubblicata nel 1677 da Agostino Oldoini con un rinnovato corredo di tavole illustranti medaglie papali, l'erudito francese è consapevole di inaugurare con la sua opera un nuovo filone di studi e ammette le sue difficoltà nel leggere ed interpretare alcune medaglie illustranti i monumenti di Roma, città che non ha mai visitato. Di notevole interesse sono inoltre alcuni paragrafi nei quali Du Molinet presenta una lista di medaglisti attivi tra il Quattrocento e il Seicento ed accenna brevemente alle tecniche da loro impiegate, riportando anche citazioni di episodi non papali: paragrafi che offriranno un significativo esempio, più di mezzo secolo dopo, a Ridolfino Venuti per articolare un importante abbozzo (prima inedito) di 'storia delle medaglie moderne per artisti' (e non per committenti), incluso dall'autore cortonese nella *Praefatio* delle sue *Numismata Romanorum Pontificum praestantiora*, edite a Roma nel 1744. (Lucia Simonato)

Bibliografia: Lucia Simonato, «Impronta di Sua Santità». *Urbano VIII e le medaglie*, Pisa, Edizioni della Normale 2008, *passim*.



Praefatio, in Claude du Molinet, *Historia summorum Pontificum a Martino V ad Innocentium XI per eorum numismata ab anno MCCCCXVII ad annum MDCLXXVIII*, Lutetiae, apud Ludovicum Billaine Bibliopolam Parisiensem 1679, s.p.



Fondazione Memofonte onlus
Studio per l'elaborazione informatica delle fonti storico-artistiche

Quae et qualis fuerit mea scribendi ratio, quod institutum, te candide lector, quamprimum monitum velim. Me nec inepte nec praepostere facturum facile sum arbitratus, si bibliothecam, cuius ordinandae provincia mihi nuper demandata fuerat, pro abbatiae Sanctae Genovefae Parisiensis dignitate, pro domus amplitudine et loci elegantia componendam, diligenter et considerate curarem. Sed ut id quod erat ordinate fieret, saepius cogitanti illud feliciter succurrit in mentem, cuius vir praestantissimus Naudaeus in tractatu *De struenda bibliotheca* inscripto probe meminerat, scilicet cuique libros qui in rem suam et usum conferant, imprimis esse comparandos. Ut igitur omnis in hoc a me haberetur ratio et assiduitas, illos maxime qui ad historiam ecclesiasticam et ad summos Pontifices spectabant, eo diligentius coegi codices, quo id potissimum domui apostolicae Sanguineae pluris referre intelligebam.

Verum ut omnibus suis numeris ac partibus historiae Pontificum Romanorum series apte texeretur, nihil aequae ad rem mihi visum est futurum esse tum decori tum adiumento atque summorum Pontificum numismata. Statim Romam literas scripsi ad nostratem r[everendum] p[atrem] Asselinum, virum literatum et antiquitatis sedulum indagatorem, quibus eum etiam atque

etiam rogabam, ut nummos eorum numero plures ac serie temporum continuatos, si satis commode posset, Parisios nobis mittere vellet. Sat belle res cecidit, et quod erat in votis, ad optatum exitum perductum est, cum ducentos misit, ad quos tam meapte quam amicorum beneficio totidem ferme accessere, qui summam quadrigentos conficiunt.

Ut autem ex tanta numismatum congerie nonnihil utilitatis emergeret, magno sciendi desiderio ecce repente teneor, cuius foret unaquaeque effigies, quam ob causam, quoque tempore singulum quodque cunus fuisset numisma, quae et qualis inscriptio, quis demum verus et germanus epigraphes sensus. Apud Italos et apud quosvis alios qui hanc scientiam tractarent, libros impiger perquisii et investigavi, sed in perquirendo nimio plus opera sum abusus. Est enim abunde cur ego mirer, quod ex authorum numero non mediocri, qui laminis aereis effigies numismatum priscorum Caesarum scalpere curarunt, quasque eruditissimis illustrarunt notis, nequidem unus, etiam Romae, quid simile extremis, ut aiunt, digitis in Sedis Apostolicae decus et gratiam attigerit. Rem indignam et insolitam prorsus una cum amicis eodem quo ego accensis desiderio querebar olim, et casu nescio quo is ex ore excidit et elapsus est sermo, me laudem summorum Pontificum eorum nummis contentam et concreditam, iam prope senescentem, qua opera, qua arte ab hominum silentio atque oblivione libenter et impigre vindicaturum, nisi a tanto proposito et tarditas ingenii et orationis siccitas revocarent. Mox amici omnes dant animos et operam ultro pollicentur, quos inter clarissimi viri abbas Bizot, Regiis numismatibus cudendis praepositus, necnon Ioannes Vaillant, Regis Christianissimi antiquarius, uterque in indaganda antiquitate non mediocriter versatus; sed hic potissimum mihi adfuit, qui Romam undecies profectus et ibi diu ac multum commoratus, si quid in hac urbe uspiam est scitu et notatu dignum, illud omne et tabulis consignatum et memoriter complectebatur, cuius me participem absque invidia voluit, adiecto etiam nummorum pontificiorum

catalogo, quos in Galliis quos in Italia passim deprehenderat.

Quinetiam d[ominus] De la Boissiere, nobilis caelaturae artis sculptor, vir optimae notae et in hoc caelandi genere peritissimus, quippe qui iam numismata maximi moduli Regii archicimelii aere eleganter incidisset, mihi opem operamque suam peramanter pollicitus est ac arte sua graviter et sedulo, prout indigerem, opitulaturum perofficiose spondit.

Cum igitur omnia, velut inita conspiratione, pro re nostra facere intelligerem, et hunc futurum esse exitum et operis fructum, quem ipse sperare vix unquam ausus fuisset, conicerent amici, quid de ea sentirent Romae primates ac literati, ut tentarem et quasi olfacerem visum est. Iam erat mihi aliunde de quo edita opera ad serenissimum principem eminentissimum Cardinalem Cibo scriberem, hac nata



occasione unum alterumve de hocce consilio in epistola verbum inieci, qui pro sua singulari humanitate rei propositae hoc mihi dare responsum dignatus est: «consilium tuum concinnandi historiam Romanorum Pontificum a Martino V ad haec nostra tempora, ex numismatibus eorundem Pontificum, dignum videtur, et tua praestanti eruditione et singulari pietate ac fide qua Sedem Apostolicam colis: qua in re ego quoque aliquid in lucubrationes tuas libenter conferam, si quis tuo nomine identidem mihi significaverit, quibus in rebus ex Romanae antiquitatis promptuario iuvare studium tuum possim. Recte sane ac prudenter observas incuriam eruditorum, qui in hoc argumento laborare neglexerunt, in quo poterant et Romanae Ecclesiae fastos et suum nomen illustrare». Tanti ergo viri sententia confirmatus, necnon apostolica benedictione recreatus, ad opus illud aggrediendum meme sic incensum expertus sum, ut quicquid antea restaret difficultatis, tum extenuari ac omnino evanescere visum fuerit.

Anno igitur 1677 ineunte, operi manum admovi et, ut d[ominus] De la Boissiere numismata scalpere inciperet, a me primo est consultum atque provisum quae, quo plura in dies ab eo caelabantur, eo pariter plures a me tenebantur oratiunculae, quae breviter, dilucide tamen, typi sensum ac inscriptae epigraphes

aperirent; et eo, temporis tractu, ventum est ut, Deo dante intra annum et semestre spatium, supremam operi addiderim manum. Me multis praestantissimis et gravissimis antiquitatis cultoribus viris plurimum debere, palam et aperte profiteor, qui omnes ad navandam operam promptiores fuere: nullum enim in musaeo, nullum in cimelio, alibi nullum servabant sepositum aut reconditum numisma, quod illico mei non foret usus et iuris; sint ergo gratitudinis monumentum notae illae ac literae, quas infra singula numismata apposui, quibus eorum nomina et quid ab unoquoque acceperim facile dignoscere est.

Aperuit mihi gazophylacium Regis Christianissimi summa d[omini] De Carcavi, in Maiori Consistorio quondam senatoris ac nunc eius et Regiae bibliothecae praefecti, humanitas ac erga me benevolentia, qui ex thesauro illo omnis generis numismatum locupletissimo, sua arte et industria undequaque ingenti labore collecto, quicquid libuit excerpere, libenter concessit; quin et in dubiis et obscuris tam ipse, quam viri clarissimi et eruditissimi, qui apud eum de rebus numismatum et antiquorum praesertim monumentorum eruditionem spectantibus, disserendi et conferendi causa, una conveniunt, mihi saepius praesto fuere.

Iuvit me et Ciaconius fecitque ut multum de labore meo minueretur: accessit quoque et r[e]verendus p[ater] Oldoinus, eius operis continuator, qui maxime acta Urbani VIII, Innocentii X, Alexandri VII et Clementis IX summorum Pontificum suggestit, ex quibus facilius in eorum nummorum sensum ac notitiam deveni.

Non possum similiter quin cumulatissimas referam gratias domino a Puteo, equiti Romano clarissimo, cuius plusquam caeterorum sunt summorum Pontificum numismata, quae non invito domino, prout res postulabat, delineanda satégi ex eius musaeo, quo omnes norunt nihil elegantius, nihil cognitu dignius inveniri.

Haec sunt hactenus in me collata beneficia: at illud graviter dolendum, quod per diutinam absentiam d[omini] de Guenegaud,

Regis Christianissimi apud Lusitanos oratoris, eius pontificiis nummis frui minime licuerit; ex illius enim cimelio, velut e divite quodam emporio, ampla et lauta supellex mihi facile accedere potuisset, quae difficiliter aliunde fuit exquirenda et investiganda.

Historiae summorum Pontificum seriem a Martini V pontificatu repetii, quae gravibus multisque de causis altius non fuerat repetenda; primum ne a spatio et curriculo Ciaconii nuper editi, tantulum quidem deflecterem, cuius numismatum pontificiorum icones, non ex altiori capite aut fonte deducti sunt ac derivati. Secundo, quod nulla omnino Pontificum Romanorum ante Martinum V visa sint numismata, et Georgius Vasari ex Paulo Iovio referat Pisanellum, quendam pictorem Veronensem,



Fondazione Memofonte onlus
Studio per l'elaborazione informatica delle fonti storico-artistiche

huius Pontificis maiorem nummum excudisse, in cuius aversa parte tessera gentilitia Columnarum, a quibus ducebat originem, conspiciebatur. Nummus ille quoque, in quo legitur inscriptum «OPTIMO PONTIFICI», nonnullam redolet antiquitatem. A Martino V autem, ad haec usque nostra tempora, omnium fere Pontificum coaetanea deprehenduntur numismata. Tertio aequum quodammodo erat et operaepretium, ut ab ipso, velut a fonte et capite, meus hic nummorum ordo et series deduceretur et primum emanaret, qui in unum veluti caput, Ecclesiam schismate Petri de Luna diu divisam ac tripartitam et (si dicere fas est) tricipitem, coegit et conciliavit: unde ab eo pro re ecclesiastica celeberrimam posse constitui epocham mihi visum est.

Verumenimvero temporibus illis, anno circiter 1430, in gratiam principum ac illustrium virorum incoeptus fuit numismatum usus, seu potius a priscorum Romanorum aetate apud Italos restitutus, ex quibus ad caeteras manavit et quasi migravit nationes. Nullum eorum authorem et artificem Victore illo Pisanello Veronense pictore deprehendo antiquiorem: is enim non solum vultum Martini V de quo superius, sed et virorum suo aevo praestantiorum, ut Iovio placet, in cera effinxit ac deinde metallo solide fudit, unde

ingentis molis varia conflata sunt ab eo numismata, puta Alphonsi Regis Siciliae, Ioannis Palaeologi, Francisci Sfortiae, Sigismundi Pandulphi et aliorum, quae penes me servantur, eius nomine et caractere sic signata: «OPVS PISANI PICTORIS». Proxime ad hunc accesserunt Matthaeus Pastus (seu de Pastis) 1446, Andreas Cremonensis 1450, Ioannes Bolduc 1457, Petrus de Mediolano 1472, Sperandeus anno circiter 1500 et alii, qui in meam nondum devenere notitiam. Summae autem ac continuatae nummorum Pontificum antiquitatis a Martino V testes eos adducimus, quos hic ex unoquoque ipsorum delineare curavi: Eugenii IV scilicet, in quo spectantur Graeci et Armeni; Nicolai V, ubi navis; Calixti III, tessera gentilitia; Pii II, in quo pelicanus pectus proprium dilanians, effectus ab Andrea Cremonensi; Pauli vero III [sic] extant plurima. «Quandiu enim vixit Paulus», ait Platina, «aedificiis publicis construendis incubuit, in quorum fundamentis numismata prope infinita ex auro, argento, aere, sua imagine signata, sine ullo senatusconsulto more veterum collocabat». Unde nonnulla ad nos devenerunt.

Sixtum IV, Pauli III [sic] decessorem, Victor Camelio suis monumentis commendavit, ut nomen, nummo Pontificis huius a me hic descripto, additum palam testatur. Sed eo tandem ventum est, ut numismata quaelibet, quae hactenus metallo fusili tantum, flando fabricata fuerant, feriendo cusa videri coeperint, ipso Victore Camelio, ut opinor, primo authore ac inventore (ullum enim eo antiquiorem deprehendere nondum licuit); factumque est ut quod rude et impolitum plane antea videbatur, multo perfectiorem formam attingeret. Hic enim artifex archetypa cuneos ac marculos mox fabricavit, quibus posthac percuteretur nummus, ut iam erga monetam fieri consueverat, quae res nummarius opus mirum in modum commendavit. Hominis industriae et dexteritatis testes sunt asservata penes me varia eiusdem numismata et imprimis suamet effigies, quam aere eleganter solidam cudit.

In gratiam Iulii II huiusmodi nummi percuti coeperunt. Duo hic conspiciuntur, qui exhibent palatium, quod Iuri [sic]

reddendo extruendum curaverat: at opus nondum exquisite elaboratum videtur, et paulo contractius prominet. Mox pictores nobilissimos protulit illa aetas, qui Pontificum Romanorum diagraphicas imagines eleganter admodum delinearunt; puta Raphaëlem Urbinatem, Iulium Romanum ac alios, qui quidem Leonis X, Clementis VII et Pauli III aevo claruere. Tum egregii artifices Paduani, Ioannes scilicet Cavinus et Alexander Bassianus, ac Laurentius et Franciscus Parmenses, his successere, qui artem, curam et industriam omnem in memoriam Iulii III, Pauli IV, Pii IV et V, necnon Gregorii XIII feliciter contulere. Verum ab hoc ineunte XVII saeculo ad haec usque nostra tempora extitere non pauci, qui ad gloriam et honorem summorum Pontificum quicquid in opere caelaturae situm erat, id omne veluti certatim contulere, scilicet: Nicolaus Bonis, Sixti V et Gregorii XIV numismata cudit;



Fondazione Memofonte onlus
Studio per l'elaborazione informatica delle fonti storico-artistiche

Dominicus Poggi, Sixti V; Georgius Ran, Clementis VIII et Pauli V; Paulus Sanquiriacus, Clementis VIII et Pauli V; Ioannes Antonius Moro vel Mori, Pauli V et Gregorii XV; Gaspardus Molo, Urbani VIII, Innocentii X et Alexandri VII; Cormannus, Innocentii X; Gaspardus Moroni, Alexandri VII; Travanus, Alexandri VII; Albertus Amerano, Clementis IX et X; Hieronymus Lucenti eques, Clementis X; Ioannes Amerano, Alberti filius, Clementis X et Innocentii XI nulli priorum secundus.

Pontificum autem summorum moneta longe praecedat tempore eorum numismata: sexcentis enim abhinc annis cusam reperies, uno tantum Pontificum nomine appposito (mitto bullas ac sigilla plumbea, quae mille annos excedunt). Tertium autem saeculum est, a Bonifacio scilicet VIII, ex quo eos habitu pontificali cum tiara stantes, vel cathedrae insidentes videmus in monetis, ut in aureo nummo Eugenii IV in hoc

opusculo descripto depingitur: ille est Eugenius, qui primus parmam gentilitiam in moneta effinxit; priores enim Pontifices duabus Petri clavibus, in decussim traiectis, earum aversam partem ornabant, membro tesserae solum superaddito, puta columna in nummo argenteo Martini V, qui ex gente Columna ducebat originem.

Paulus autem secundus, anno circiter 1466, primus omnium Pontificum (quantum deprehendere licuit) caput suum metallo ad monetarum usum effingere curavit, principum Italarum exemplo. Hos itidem e vestigio secutus, Ludovicus XII Galliarum Rex, cum Mediolani, cuius Ducatum obtinuerat, moraretur, eiusmodi cudendae monetae quae vultum atque frontem referret, facultatem concessit. Hinc et ad nos devenit mos iste, ut illa capitata moneta, Gallice «testons» dicta, vulgaretur non solum in ipsius Ludovici ac Francisci primi, sed et Henrici secundi ac liberorum istiusmodi denariis argenteis. Vix enim a mille annis a Caroli scilicet Magni aut Calvi temporibus, Regum nostrorum vultus in eorum pecunia apparuerat. De summorum autem Pontificum monetis, quas a numismatibus distinguendas censui, nulla hic mentio, etiamsi earum nonnullae ad illustrandam historiam non mediocri forent adiumento: cum enim tot manibus omnium terantur, nec inelegantes, facile poterunt in ordinem ac seriem redigi, ac operis ab hoc distincti materiem non ingratam subministrare, quae solertis authoris operam et industriam expetit ac expectat.

Suum cuique Pontifici, quantum licuit, addixi numisma; quae autem huic vel illi Pontifici communia visa sunt, illius ut plurimum esse feci, in cuius gratiam primum cusa fuerant. Quid enim aliud quam nauseam creasset crebrior eorum repetitio? Saepius enim suae solius spontis impulsu artifices, lucro ac commodis plus aequo studentes, numismatum numerum in dies adauxerunt, cum aversam quamque partem, quae pluribus aptari poterat, cuilibet Pontificum capiti pro arbitrio et sine discrimine accommodarunt, quales hae sunt, *Annona, Securitas, Providentia, Domus mea domus orationis, Claves*

Regni Coelorum, ac *Navis sancti Petri* cum his lemmatibus «Domine, adiuva nos», «Iube me venire ad te», «Salva nos Domine», «In verbo tuo laxabo rete», *Ablutiones pedum, Assagia*, etc.

Observatum velim fidem tantam non esse adhibendam nummis in arena fuis, quantam iis qui solide fuerunt cusi ac percussi; illi enim saepe saepius adulterini sunt, et furtim a quolibet, nec assentiente principe, imo forte renitente, ficti et editi; ideoque infrequentiores sunt, qualis hic Pauli III cum epigraphe ista: «OMNES REGES SERVIENT EI», et Iulii III «REIPVB. CHRIST. REX AC PATER». Aliter autem sentiendum est de cusionibus, qui palam et publice nummario principum typo, dedita opera ac multo labore et sumptu percussi sunt.

In unum optabam imprimis, quod futurum erat operi congruum, numismata scilicet summorum Pontificum meo studio insculpta et expressa, ut aetate et anno pontificatus in unoquoque singula antecederent, ex ordine disponere: verum meam fabri et cutores deluserunt expectationem, qui nihil pensi habuere, utrum tam antica, quam aversa pars nummi cuiusvis Pontificis suo et uni responderet anno; imo promiscue eas quandoque consociarunt, nulla habita temporum ratione: et id causae est cur



Fondazione Memofonte onlus
Studio per l'elaborazione informatica delle fonti storico-artistiche

in huius operis contextu non par sit et unus annorum tenor, non continuata servetur series. Quinetiam nescio quo fato contigit ut numismatum quaedam serius recuperaverim, et haec ista non suo quidem, sed praepostero ordine fuerunt distribuenda ac collocanda.

Notandum porro abhinc annis circiter quindecim nonnulla Pontificum numismata, ac etiam novissime, Romae fuisse cusa, hic etiam expressa, scilicet Martini V, Eugenii IV, Nicolai V, Pii II et aliorum, a quibus tanquam ab origine nostrum opus deductum est ac primo derivatum; quae tamen admittenda et in caeterorum serie depingenda censui, tum ut priorum Pontificum numerus, qui exiguus erat, hac non spernenda accessione accresceret; tum etiam eo quod aversa quorumdam pars facta scitu dignissima referret ac comprehenderet.

Si passim tam in ortographiae, quam etiam forte in grammaticae

leges peccatur; si menda, inquam, in epigraphe inter legendum occurrunt, id fabrorum verius quam authorum vitio factum esse credendum est: quae ut corrigerem, nequidem unus author mihi fuit; ideo res, sicuti sunt, oculis subiiciam.

Utrum autem in exponendo numismate id quod erat bene et feliciter mea oratione fuerim assecutus ac genuinum sensum adeptus, tuum et aliorum qui iusti sunt rerum aestimatores, esto iudicium; non negaverim quod in dubiis aut obscuris, nonnunquam coniecturis usus sim, quod tamen his et similibus voculis appositis, videtur, arbitror, ut plurimum indicavi, quibus rem velut in medio a me fuisse relictam profiterer. Sunt et nonnulli praeterea nummi, pauci tamen, quorum detegere sensum penes me nullo modo fuit, utpote qui non haberem, quod sequerer, veritatis filum, nullam epigraphen, quae quasi viam monstraret. His autem, non secus ac suspectis aut ementitis, vix ulla fide est adhibenda. Nec obiicias quod eos ipsos, quos censeo reiectaneos, hic admiserim ac depingi curaverim, illud quidem non meapte praestiti, sed Oldoini vestigia, qui illos in novo Ciaconio effixerat, secutus plane sum.

Habes opus (erudite lector) plenum quidem festinationis et pulveris, nec ex omni parte, tantum quantum sat est limatum; eo tamen utere bonus: non infesto, non iniquo animo succenseas mihi, quod populariter, quod forte durius, quod dissolute scripserim; omnia semper ex animo vix succedunt, et itur periculose qua via trita non est. Rem hactenus intentatam primus omnium suscepi, ut ad rei ecclesiasticae et Romanorum Pontificum historiam nonnihil decoris, quantum in me esset, conferrem. Si quos in hoc opusculo deprehendas errores, scito me nunquam Romam invisisse, et ideo quicquid de huius urbis monumentis, quicquid de locis ac templis scriptum est, illud omne aut librorum ministerio aut virorum, qui in ea diu degerunt, relatione didici, penes quos fides sit.